



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Lib. II. cap. 2. & 3. An Sacrificium Missæ sit impetratorium &
propitiatorium

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

quod impudenter & nequiter finxit, mendacio iterum pro more solenni, immemor sui & à se paulò ante scriptorum deprehenditur. Dicit, in *Canone hoc non agi de Sacerdotio Christi vel Melchisedech, sed de Sacerdotio potius Levitico, juxta Glossam.* Sed aliter adeòq; contra semetipsum scripsit in ultimo illius capitis paragrafo, ubi *conjunctionem Legis & Sacrificii* sumit demonstrandam, ad objectionem ex hoc Apostoli loco, quem Augustinus in citato Canone Decretali explicasse dicitur, respondere conatus, hunc in modum: *Dices, cur ergò B. Paulus, cum dicit, Translato Sacerdotio debere etiam transferri Legem, non dicit, translatum esse Sacerdotium Leviticum ab Aarone & Successoribus in S. Petrum & Successores, sed solum in Christum?* Respondeo, *Apostolus non dicit, translatum esse Sacerdotium Leviticum ab Aarone in Christum, sed translatum esse Sacerdotium Leviticum in Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, quod Sacerdotium æternum esse, & in Ecclesiâ perpetuò vigere debet. Unde cum postea nominat Christum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, non ipsum considerat, ut præcisè obtulit Sacrificium Crucis, sed ut per Ministros suos perpetuò sacrificat seipsum in Eucharistiâ; hoc solo enim modo perpetuum habet Sacerdotium.* Non deessent quidem in his verbis, quæ Examen paterentur rigorosius. Verùm id nunc tantum observasse sufficiat, Bellarminum sibi metipsum in faciem contradixisse & scripsisse, & quod impedit Luthero mendacium & imposturam, ei jure potiori esse adscribendum, à semetipso aperitissimè convicto & deprehenso. Accedit notatio lemmatis huic Canoni vel capiti in Decretalibus præscripti, & Abbati Siculo adscripti: *Potestas legem condendi & mutandi est penes Vicarium Christi; & quod de uno connexorum statuitur, ad aliud connexum extenditur.* Sed pro Lutheri innocentia contra Bellarmini injuriam satis. Unum adhuc saltem in hac restat tractatione, non omnimodo prætermittendum silentio. Bellarminus enim ad ultimam responsurus objectionem, quam non solum hæreticis ad oppugnandum Missæ Sacrificium, sed etiam Catholicis quibusdam ad rem melius explicandam adscribit, & ostensus, *in quâ parte Missa propriè consistat essentia Sacrificii*, tertiam hanc facit Propositionem: *Panis & corpus Domini, vinum & sanguis Domini, non sunt duo Sacrificia, sed unum.* Et postquam ex mente suâ eam explicavit, ad ejus demonstrationem subjunxit: *Huc faciunt omnia Patrum loca, qui docent, unicum esse Ecclesiæ Sacrificium, quod toti veterum Sacrificiorum multitudini successerit*, nominatim Augustini, quinque diversis ex diversis ejus Scriptis Lectori significatis. Neq; hæc de ipsa Propositione, ejus formatione & ad propositum applicatione sumus solliciti, non paucis ad Examen trahendis, si id ratio instituti requireret. Augustini tantum auctoritas à Bellarmino objecta observationem meretur, cujus loca, ad quæ Bellarminus provocat, & quæ non semel antehac occurrerunt, adeò non faciunt ad demonstrationem Propositionis & thesæ Bellarminianæ, ut potius eam funditus evertant. Augustinus enim cum cæteris Ecclesiæ Patribus constanter & orthodoxè, quod Evangelici ambabus, quod ajunt, manibus amplectuntur, docens, *unicum esse Sacrificium Ecclesiæ, videlicet propitiatorium, quod toti veterum Sacrificiorum multitudini successerit*, non nisi Crucis Sacrificium intellexit, quod hæctenus expressissimis Augustini verbis non semel fuit ostensum; eo quod ipse Missæ Sacrificium quasi nullum & non-Sacrificium ante, quàm in Ecclesiâ esset natum, prædamnavit, ut ulteriori & iteratâ demonstratione post tot declarationes repetitas opus omnino non sit.

Ebr. 7.

LIBRI SECUNDI

DE

SACRIFICIO MISSÆ,

CAPVT SECVNDVM ET TERTIVM,

de Quæstione,

*An Sacrificium Missæ sit propitiatorium?**An item sit impetratorium?*

SI & in hujus Quæst. tractatione Bellarm. pro more, eadem oberrare chordâ dixerim, nulla ei inferetur injuria. Id ne frustra de Eo videatur dici, in rem & hic præsentè veniamus oportet. Ut enim demonstret, *Missæ Sacrif. esse propitiatorium*, sequentia quatuor

Aaa 3

Augustini

Augustini testimonia Lectori commendat, è quorum numero & serie primum hoc est: *multis Sacrificiis, quæ pro peccatis obferebantur, unum hoc nostrum significatur Sacrificium, in quo vera sit remissio peccatorum.* In secundo scribere Euna dicit Bellarm, *Sacrificium pro peccato offerri in Ecclesia usq; ad diem Judicii, sed non ulterius, quia post eum diem non sint, quibus remitti possint peccata.* In tertio Eum scribit Eucharistiæ Sacrificium vocare *unicum pro salute nostrâ sacrificium.* In quarto tandem de eo extare, *ibi pro peccatoribus Christi sanguinem effundi.* Atqui singula hæc testimonia de ipso crucis Dominicæ Sacrificio verè propitiatorio esse intelligenda, sicut & antecedentia pleraq; accuratior & magis sincera eorum inspectio faciet manifestum. Primum quidem testimonium supra jam fuit vindicatum in Examine locorum de *capite sexto Johannis*; Sed quia hic circa aliam recurrit Controversiam, iteratò vindicandum est. Sensus autem ejus ut eò magis fiat perspicuus, integro iterùm textu ex debito & pro more adducendum venit, additâ observazione, qua Sanctus Doctor occasione id exhibuerit. Nimirum hanc sibi proposuit ex Levitici libro. Quæstionem: *Quid est, quod prohibens Deus edendum sanguinem dicit, Anima omnis carnis est sanguis ejus.* Post multa ad illustrandam hanc Quæstionem pertinere visa, eam uberius tandem ita exhibuit, Veteris Testamenti statum & conditionem cum Novo comparans: *Cum Dominus dicat, Nisi manduca veritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis; quid sibi vult, quod à sanguine Sacrificiorum, quæ pro peccatis obferebantur, populus tantoperè prohibetur, si illis Sacrificiis unum hoc Sacrificium significabatur, in quo vera sit remissio peccatorum, à cujus tamen Sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum omnes potius exhortantur, qui volunt habere vitam?* Non repetitâ vice hic urgeo insigne contra Communionem sub una specie in his Augustini verbis testimonium, *bibitionis* expressam faciens mentionem; id tantum noto, augustissimum Doctorem in paulò ante præcedentibus verbis indicare, quid per hoc Sacrificium in V. T. præsignificatum voluerit intelledum, videlicet, non fictitium illud Missæ Sacrificium, pro cujus valore tanquam pro Aris & focis hæctenus cum suis pugnavit Bellarminus, sed Christum ipsummet, quem dixit *Mediatorem, illis omnibus sacrificiis, quæ pro peccatis obferebantur, præfiguratum.* Hæc verba si Bellarminus in Augustino legit, nimis impudentem esse Eum oportuit, quod contra Scriptoris mentem tam clarè expressam ea in alienum planè ausus est detorqueere sensum. De secundo Augustini testimonio, cujus autoritate Bellarminus hic pro Missæ Sacrificio utitur, itidem supra in Examine locorum V. T. pro Igne Purgatorio ex Augustino fuit actum, & tamen hic aliquid restat addendum, ob insignem Bellarmini fraudem hic commissam, Missæ Sacrificium hic obtrudentis, cujus ne verbulo facta est mentio in toto Augustini textu, neque etiam fieri potuit, utpotè Augustini Seculo, ut non semel hæctenus observatum, ignotissimi. Explicavit autem Sanctus Pater ibi ea oraculi Malachiani verba, quibus *emundatio filiorum Levi à Christo & acceptatio Sacrificii Juda & Jerusalem* fuit præsignificata & promissa, ita de utraque scribens: *Filios Levi, & Juda ac Jerusalem ipsam Dei Ecclesiam accipere debemus, non ex Ebraeis tantum, sed ex aliis etiam gentibus congregatam, nec talem, qualis nunc est, ubi, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmet ipsos seducimus, & veritas in nobis non est; sed qualis tunc erit velut area per ventilationem, ita per Judicium purgata novissimum, eis etiam igne mundatis, quibus mundatio alis necessaria est, ita ut nullus sit omnino, qui obferat Sacrificium pro suis peccatis. Omnes enim, qui sic (tortè legendum, hic) obferunt, profecto sunt in peccatis, pro quibus dimittendis obferunt, ut cum obtulerint, acceptumq; Deo fuerit, tunc dimittantur.* Quo torculari usus sit Bellarminus, ut ex his Augustini verbis Missæ Sacrificium, & quidem propitiatorium exprimeret se posse fuerit confusus, eam Doctori augusto adscribens Sententiam, quæ in mentem ei venit nunquam, proflus ignoro. Etsi enim Sacrificii pro peccatis fiat mentio, non ita tamen intelligendum venit, quasi novo, & quidem quotidiano vel quotidie & singulis ferè momentis, numero planè innumero in Ecclesiâ repetito opus esset ad expiandum peccata Sacrificio, quia unicum, id est, ipsummet Christum, Sacerdotem pariter & Sacrificium, V. Test. Sacrificiis à Deo mandatis successisse, in antecedente Testimonio & alibi hæctenus non semel testatus est Augustinus, ideò Sacrificium hoc pro peccatis hodiè adhuc & in hoc Seculo offerri Deo, eidemq; acceptum esse scribens, dum illud semel pro totius Mundi peccatis in Ara Crucis à Sùmo Sacerdote oblatum, per veram Fidem & grata commemoratione, in ipso Sacramenti Eucharistiæ usu, à devotis communicantibus DEO Patri obfertur quasi, ejusq; vis & efficacia ad confirmationem perceptæ remissionis peccatorum gratuitæ applicatur, Missæ Sacrificio planè hic inutili, & ne quid

quid gravius dicam, superfluo. *Tertium* de Eucharistiæ Sacramento, notum autem de Missæ Sacrificio agere præter Bellarmini confessionem manifestum ex verbis iterum est, quæ ibi leguntur sequentia: *Quid de ipso corpore & Sanguine Domini, unico pro salute nostrâ Sacrificio, quamvis ipse Dominus dicat, Nisi quis manducaverit Carnem meam, & biberit Sanguinem meum, non habebit in se Vitam? Nonne docet Apostolus, etiam hoc permissiosum male utentibus fieri? Ait enim, Quicumque manducaverit panem & biberit Calicem Domini indignè, reus erit corporis & Sanguinis Domini.* Pertinere hoc testimonium ad ea, qualia de Sensu capitis sexti in Evangelio Johannis fuere producta, contextus ostendit. Quamvis autem corpus & sanguinem Domini Augustinus dicat *unicum pro salute nostrâ Sacrificium*, non tamen id eo facit sensu, ac si corpus & sanguis Domini in Eucharistiæ Sacramento ad modum Sacrificii offeratur, sed quia id, quod cum Pane & Vino, vi Institutionis primæ, communicantibus ad edendum & bibendum præbetur, in Arâ Crucis *unicum pro salute nostrâ Sacrificium* Deo Patri fuit à Filio, Sacerdote summo & Mediatore unico oblatum, nisi quid edere & bibere pro actibus verè & propriè sacrificialibus habere velit, ipsosque etiam communicantes edendo & bibendo verè & propriè dicat sacrificare. *Quartum* nunc, quod super adhuc est, testimonium exinde est desumptum, unde supra etiam non multum dissimile habuimus. Laudavit ibi Doctor Augustus oraculum apocrypticum de clamore Martyrum sub Arâ Dei vindictam Sanguinis sui contra Persecutores postulantium, adplicans illud ad consuetudinem suo tempore receptam, quâ Martyrum corpora sub Altaribus fuerunt recondita. Inde notanter scripsit: *cap. 6. Rectè sub Altari justorum anime requiescant, quia super Altare Corpus Domini offertur; nec immeritò illis Iusti vindictam Sanguinis postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi Sanguis effunditur.* Verùm si antecedentia Augustini testimonia, quæ non parè hæcenus adducta fuere, attentè ponderemus, & cum hoc diligenter conferamus, sine multo labore docebimur, Sanctum Patrem per *oblationem corporis & effusionem Sanguinis Domini super Altare pro peccatoribus* non aliquem actum verè & propriè Sacrificialem, sed oblationem & effusionem distributam & activè communicativam intellexisse, quâ sub specie Panis consecrati corpus offertur, & sub specie Vini Sanguis Domini in ora fidelium effunditur, unde actum dicere Sacrificialem velle præter mentem Augustini esset.

Eodem planè modo peregrinam Ei adscribit mentem Bellarminus, ut demonstret, Missæ Sacrificium non solum esse propitiatorium, sed simul etiam *impetratorium*, omnis nimirum generis Beneficiorum, id quod partim ipsis Scripturæ, partim quoque Patrum, & inter eos Augustini testimoniis probare intendit. Scripturæ testimonia quod attinet, ex utroque Testamento illud obtinere se posse sperat. Ex Veteri quidem provocat ad hostias non unius generis & speciei, nominatim ad *votivas pro Beneficio aliquo impetrando*, addens: *Si verum est, quod præter Chrysostomum & Leonem Magnum scribit Augustinus, omnes veterum hostiarum differentias unâ Eucharistiæ oblatione contineri, necessum est, ut Eucharistia offerri etiam possit pro impetrandis ejusmodi Beneficiis.* Ex novo autem Testamento monet, Apostoli mandatum de faciendis in Ecclesiâ obsecrationibus, orationibus, postulationibus & gratiarum actionibus &c. Sanctos Patres, & inter eos Augustinum quoque, *de publicis precibus, quæ in Missa fiunt*, exposuisse, & voluisse, quod *Apostolus præceperit, ut Sacrificium offerretur etiam pro temporali Pace & tranquillitate Ecclesiæ.* E veterum Ecclesiæ Doctorum Scriptis ad illud præsertim Augustini ex laudatissimo opere de *Civitate Dei* testimonium remittit, quo Sacrificii Eucharistiæ *ad purgandam à Dæmonum vexatione domum oblata* mentio legitur. Ante quàm respondeatur, notandum venit, pauca vel planè nulla Bellarminum in secundo hoc libro de Missæ Sacrificio ex Augustini Scriptis habere testimonia, quorum non in primo etiam libro fecerit mentionem, & quibus non jam in examine eorum satis ex debito fuerit factum. Possent hinc omninò sine ulteriori responso prætermitti, laborque compendiosius contrahi, nisi fraus in eorum citatione ut plurimum impertinentissima amplius esset detegenda, & ne adversarii habeant, de quo conquerantur, vel potius triumphent, ingeminantes, responderi ad ea non potuisse. Et ut ad *primum* deveniamus, quo Bellarminus pro virtute Sacrificii Missarici *impetratoriæ* ex eo argumentatur, quia secundum Augustini & aliorum Ecclesiæ Doctorum Sententiam, *omnes veterum hostiarum differentie unâ Eucharistiæ oblatione contineantur*; si citatum Sancti Patris locum evolvamus, de quo supra etiam circa Examen Vaticanorum è Scriptis Prophetarum ad Augustini Sententiam ex occasione est dictum, hoc antecedens, quod augustissimo Doctore tam audacter adscribit Bellarminus,

minus, non inveniēmus, ad eò que consequens exindè deductum per se cadit. Idut pateat, non in turbido, ut Bellarminus solet, piscabimur, sed ipsa Augustini verba iteratò adscribemus: *Ecclesia, que ab Apostolorum temporibus, per Episcoporum successiones certissimas, usque ad nostra & deinceps tempora perseverat, immolat Deo in corpore Christi Sacrificium laudis, ex quo Deus Deorum locutus vocavit terram à Solis ortu usq; ad occasum.* Hac quippè est Israel secundum Spiritum, à quo distinguitur Israel ille secundum carnem, qui ser-viebat in umbris Sacrificiorum, quibus significatur singulare Sacrificium, quod nunc offert Israel secundum Spiritum. Tædet ferè sæpius eadem repetere, & tamen subterfugere non licet. Agnoscit nimirum Sanctus Pater, & agnoscunt cum Eo Augustiniana Veritatis confessores, in uno Christi Sacrificio, quod in Cruce obtulit Deo Patri, & cujus gratam devoti communicantes in usu Sacramenti Eucharistiæ celebrant memoriam, Deo pro Redemptionis opere Sacrificium Laudis ex debito obferentes, impletum esse id omne, quod tot Sacrificiorum variis generis & speciei umbris in V. T. ex instituto Dei fuit præfiguratum. Et hoc dicit Augustinus hic loci, aliudq; nihil! Quid verò illud, quæso, ad Sacrificium Missæ, cujus ne umbra quidem in hoc testimonio adparet? Secundum quoq; & repetitâ quidem vice est prolixius excussum, ubi de vocibus *Sacrificii, oblationis, Altarium* &c. ex Augustino egimus. Nunc id solùm restat observandum, quamvis illa quatuor orationum genera vel species à Paulo memoratas ostendat Augustinus in celebratione Sacramentorum (ita enim de Eucharistiâ ibi loquitur,) suo tempore frequentatas fuisse, de totâ actione Sacra quoad omnes circumstantias tum usitatas locutus, nullam fieri tamen, ne verbo quidem, Missæ Sacrificii mentionem; estque illud merum Bellarminiani cerebri figmentum, Apostolum ibi ex Augustini Sententiâ præcepisse, ut *Sacrificium obferatur etiam pro temporali Pace & tranquillitate Ecclesiæ*, cum Sanctus Doctor id tantùm significet, inter cæteras preces, quæ ante, in & post Consecrationem, tam à Sacramenti administratoribus, quàm à devotis fiebant communicantibus, hoc quoque Orationis genus vel speciem habuisse locum, quâ Deus pro conservatione Ecclesiæ & Pace temporali etiam fuit invocatus. Quid verò hoc iterum ad Missæ Sacrificium? *Tertium* ex libro de Civitate Dei testimonium, quia in proximè sequenti de *Missis privatis* tractatione à Bellarmino iterum atq; iterum ad partes vocabitur, ac propriè etiam ad illud pertinet argumentum, eorsum quoq; reservabitur. In sequenti Controversiâ, quâ de *propria Sacrificii Missæ efficientiâ* agitur, an nimirum habeat vim solùm aut potissimum ex opere operantis, an verò etiam ex opere operato, & si ex opere etiam operato, an habeat vim hanc ad modum Sacramentorum? & an valor ejus sit finitus vel infinitus? dum Bellarminus sicut nullius antiqui Ecclesiæ Doctoris, ita etiam neq; Augustini autoritate potuit ad Sententiâ, quam defendit, confirmationem uti, eomet ipso ostendit, fuisse hanc Quæstionem antiquis Ecclesiæ Doctoribus, ad eòq; etiam Augustino incognitam, id est, ut verbo dicam, esse eam omni ex parte novam, & quod ex collatione Doctorum recentium, qui de Scholâ non Ecclesiâ nomen habent, patet, pro & contra, ab his & illis, ultrò citrò que agitatam & discussam, & hinc, quod inde non improbabiler pro eorum more sequi videtur, inter Quæstiones de Fide non recensendam; quâ id autem cum consequentiâ ad invalidandum ipsum Missæ Sacrificium, aliorum esto de eo iudicium.

CAPUT SEXTUM,

DE

Sacrificii Missæ usu pro viventibus.

BInâ vice in hoc capite Augustini mentio occurrit. Semel, ubi in antecessum monet Bellarminus, pro iis, qui in Gehennâ sunt certum esse, Sacrificium obferri non posse, neque id ullum aut hereticum, aut Catholicum negare, idque ideo, quia eorum & culpe & pœne sint irremissibiles, pro confirmatione addens, Augustinum ex professo docere, Sacrificium obferri non posse pro defunctis sine Baptismo parvulis, & dicere, *damnatis, etiamsi pro eis obferatur, nihil prodesse Sacrificium*, hâc cum notatione, se hanc Quæstionem pluribus tractasse, ubi de *Purgatorio Igne* est actum, responsione etiam ibi quærendâ. Alterâ autem vice Augustini meminit Bellarminus, de iis, qui extra Ecclesiam sunt agens, de quibus dubitari non posse censet, quin absolute liceat pro iis obferre Sacrificium. Quia verò aliquod Augustini testimonium videtur ob stare, ad illud respondere conatur, scribens: *Neque his repugnat, quod Augustinus ait: Quis obferat Sacrificium corporis Christi, nisi pro iis, qui sunt membra Christi? Nam, ut rectè respondit ad hanc objectionem Thomas, intelligi debet de iis, qui sunt membra Christi actu vel potentia; tunc enim obferitur etiam pro membris Christi,*

Lib. I. de
orig. Ani-
mæ, c. 9.